

vel alio opportuno pauperes convocare et aliquam eleemosynam cibi potusque vel etiam, si facultates monasterii admiserint, modicum nummum elargiri, Deo placitum erit mihiq[ue] in solatium cedit. Nolo hic quidquam disponere, ne proprietatis vitio minimam occasionem dedisse videar.

Haec quae peto, confido, de affectu et caritate ven. conventus animae meae per merita Christi prodesse possunt.

Quaeso ut nihil eorum omittatur muteturve. Vixi indignissimus praelatus pluribus annis. O utinam melius vobis praeuissem et monasterio huic profuissem. Ignoscant, obsecro, fratres, quod plures tam verbis offenderim quam exemplis scandalizaverim. Scripsi haec praemeditate, considerate, bona et recta intentione A. D. 1672 die nona Junii feria quinta Pentecostes, ipsa die anniversaria electionis meae A. 22 praelaturae meae manu propria. Natus sum A. 1613 in ipso festo nativitatis B. M. V. Religionem sum ingressus 1633 in festo transfigurationis Di. Feci professionem in festo s. Thomae, A. 1640 in festo s. Johannis Baptistae habui primitias. In festo ss. Trinitatis 1641 factus sum Neoreischii recenter introducti conventus e nostro monasterio septem religiosis missis primum Praeses, deinde Prior. A. 1643 revocatus sum Zabrdovicium, impositum est mihi officium Prioris. A. 1650 feria quinta Pentecostes 9 Junii electus sum praeter mea merita indignissimus in monasterii huius abbatem. Per Suecos ante quinquennium combusto monasterio, ruinatis bonis tribulationem et dolorem inveni. Si quid interim boni pro exigente necessitate monasterii sum operatus, cedat ad gloriam Dei. Si quid minus factum, ignoscat Deus et non male accipiat Rmus D. successor et ven. conventus.

Solo Deo et gloria, mihi vero confusio et ignominia.

Bas. GRASSL, O. Praem.

* * *

A PROPOS DU CHEF DE LA BIENHEUREUSE GERTRUDE, MONIALE NORBERTINE († 1297).

Des recherches, entreprises récemment dans les Archives de la collégiale des Saints Michel et Gudule à Bruxelles, en vue d'établir l'authenticité d'une Relique reposant au trésor de cette église, ont permis d'exhumer une série très nombreuse d'attestations de Reliques en provenance de la mortuaire de l'Archiduchesse Isabelle, souveraine puis gouvernante des Pays-Bas au XVIIe siècle.

Parmi ces actes remis en 1655 au Chapitre, conjointement avec les dépouilles des Saints, auxquelles ils devaient servir de preuves canoniques, figure un document original, délivré le 17 janvier 1601 par Octave Frangipani, le nonce apostolique accrédité auprès de la Cour de Bruxelles. Il relate qu'en la dite année le Chef de la B. Gertrude, fille de Sainte Elisabeth de Hongrie, première abbesse du monastère prémontré d'Altenberg en Westphalie, fut donné en cadeau à l'Archiduchesse par Henri de Vera, l'un des familiers de l'entourage de la princesse. Le trésor avait été confié au donateur par le Provincial des Observants franciscains, Henri le Roy. Il reposait en ce moment au couvent dit « Ad Olivas », dans la ville de Cologne, où il avait été transféré jadis, avec deux ossements de la Bienheureuse, du monastère d'Altenberg lui-même par un autre Provincial du même Ordre, Pierre Lami. La cession de la Relique par les Franciscains de Cologne eut lieu dans le but de la soustraire au pillage des sectaires qui parcouraient alors les pays d'empire ; elle fut confirmée le 12 juin 1597 par Laurent Fabritius, suffragant de Cologne.

La provenance de la Relique, venue du monastère où la B. Gertrude avait été abbesse et était décédée à la fin du XIII^e siècle, semblait devoir en garantir l'authenticité. Léguée à l'église Sainte-Gudule en 1650, en exécution du testament de l'Archiduchesse Isabelle, le crâne y demeura sans interruption jusqu'à la fin de l'Ancien Régime. Il disparut, sans doute, avec beaucoup d'autres objets sacrés, lors des orgies sacrilèges commises en 1793 par les Sans-Culottes français dans la collégiale bruxelloise.

On trouvera, ci-dessous, la teneur intégrale du témoignage canonique dressé en 1601 qui fournit, en tout état de cause, quelques données dignes d'attention quant à l'histoire des Reliques de la Bienheureuse, inscrite au martyrologe des Prémontrés.

Plac. LEFEVRE, o. Praem.

TEXTE DU DOCUMENT

Octavius, Dei et apostolicae Sedis gratia, episcopus Tricariensis, Sanctissimi D. N. Clementis papae hujus nominis VIII, ejusdemque S. Sedis in Belgarum provinciis, civitatibus et locis omnibus Nuntius, cum potestate Legati de latere, omnibus et singulis presentes has litteras inspecturis, lecturis et audituris salutem in Domino sempiternam. Cum aequum sit et rationi consentaneum veritati tes-

timonium dare, hinc est quod nos, tenore presentium, significamus et attestamur nobilem et generosum Dominum Joannem de Vera, Regiae catholicae majestatis a servitiis, nobis optime notum, coram nobis personaliter comparuisse, unaque exhibuisse certas litteras donationis quarumdam Sacrarum Reliquiarum, ei factae a Rdo fratre Henrico Regio, ordinis sancti Francisci, regularis observantiae Provincialis, ejus manu propria subscriptas, ac ejus sigillo, in cera viridi, munitas, ac etiam certas litteras licentiae transferendi easdem Reliquias dicto domino Joanni de Vera, concessas a Rmo D. Laurentio Fabricio, Dei et Apostolicae Sedis gratia, episcopo Cyrenensi, Rmi ac Sermi Principis ac D.D. Ernesti, Sacrae Coloniensis ecclesiae electi et confirmati archiepiscopi, per civitatem et diocesim Colonienses in pontificalibus Vicario Generali, Sacrae Theologiae Doctore, ejus manu subscriptione et sigillo, in cera rubra, nobis optime notis munitas, ambas integras, non rasas et omni suspitione carentes, quarum tenor respective de verbo ad verbum hic sequitur et est talis :

In nomine Domini Amen. Nos frater Henricus Regius, Ordinis S. Francisci, regulae observantiae Provincialis in conventu « ad Olivas » dicto civitatis Coloniensis agens, testatum facimus universis nos, summa fratrum nostrorum consensione, dono dedisse nobili et generoso Domino Johanni de Vera, regiae catholicae Majestatis a servitiis, (praevio tamen episcopi ordinarii loci indulto) sequentes Sanctorum Reliquias, quas pia memoriae Rdus Pater Petrus Amicus, quondam dicti ordinis Provincialis, ex monasterio Veteris Montis in Weistervaldia extraxerat et acceperat, piaeque hactenus religione in dicto conventu nostro ad Olivas asservavimus ac venerati sumus, videlicet Caput sanctae Gertrudis, filiae sanctae Elisabethae, uxoris Landtgravii Hassensis, et duo ossa ejusdem, attento scilicet summo flagrantique desiderio, quo, ut in Deum ejusque sanctos, sic et in venerandas eorundem Reliquias, Spiritus sancti electa quondam organa et habitacula, ferebatur pietatis affectu, habita non minima etiam ratione horum patriae nostrae motuum, quibus preciosissimo huic Ecclesiae thesauro a profligatae pietatis hominibus metuendum est, et in plerisque patriae nostrae locis praestantissimas illas opes nefando quodam furore ac sacrilegis manibus a male feriatis et plusquam diabolicis hominibus direptas et turpiter abjectas (eheu dolor) conspeximus. Confidimus igitur hac via sacras has sanctorum Reliquias a nefariorum hominum manibus et petulantia, non modo magis fore tutas, et quodammodo etiam vindicatas, verum etiam cum plurimis piis mentibus

non mediocrem pietatis accessionem facturas. In quorum fidem, praesentes litteras manu propria subsignavimus, sigilloque nostro munivimus. Datum Coloniae Agrippinae, anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, die decima mensis junii. Sic subsignatum : fr. Henricus Regius Mon. Provinciae Coloniensis qui supra. Et sigillatum cum sigillo ejusdem Reverendi Domini Provincialis in cera viridi. LAURENTIUS Fabritius, Dei et Apostolicae Sedis gratia, episcopus Cyrenensis, Rmi ac Sermi Principis ac Domini D. Ernesti, sacrae Coloniensis ecclesiae electi et confirmati archiepiscopi, per civitatem et diocesim Coloniensem in pontificalibus Vicarius Generalis, S. Th. D., omnibus ubique locorum presentes litteras nostras inspecturis, lecturis, seu legi forsan audituris, salutem in Domino sempiternam. Cum sanctorum Reliquias, ex dispositione sacrorum canoum, de uno loco in alium sine consensu episcopi Ordinarii transferre non liceat, nobili autem et generoso viro et domino Joanni de Vera, Regiae Catholicae Majestatis a servitiis, pro ea devotione qua Sanctorum Reliquias prosequabatur, a Rdo fratre Henrico Regio, ordinis sancti Francisci regulae Observantiae Provincialis, ac caeteris fratribus conventus ad Olivas, dicti praefati ordinis, in civitate Coloniensi, ex venerandis iis Reliquiis, quas pia memoriae Rdus Pater Petrus Amicus, quondam antedicti Ordinis Provincialis, ex monasterio Veteris-Montis in Weistervaldia acceperat, et quae hucusque apud ipsos celebriter et hactenus a compluribus annis a christiano populo veneratae sunt, gratuito et sanctissimi muneris loco, infra nominandae Reliquiae in finem transferendae easdem in alium catholicum locum, ubi a christifidelibus magis magisque venerari possent, dum tamen noster consensus ei transportationi imprimis accederet, oblatae essent, hinc praefatus dominus Joannes de Vera humiliter nobis supplicavit quatenus translationi hujusmodi sanctorum Reliquiarum gratiose assentire dignaremur. Nos, igitur, deprehendentes bonum zelum et ferventem devotionem in qua supradictus D. de Vera erga hujusmodi Sanctorum Reliquias multum afficiebatur, et insuper cognoscentes quod idem supplicans per hoc nihil aliud quaesierit quam gloriam Dei ac honorificam exaltationem Reliquiarum sanctorum ejus, idcirco eidem subsequentes venerandas sanctorum Reliquias, videlicet Caput sanctae Gertrudis, filiae sanctae Elizabethae, uxoris landtgravii Hassensis, et duo ossa ejusdem, quas quidem Reliquias a memorato D. Provinciali et fratribus, modo ut praemittitur, recepit, in alium catholicum locum, ubi magis magisque venerari possent, desuper ejusdem concientiam gravantes, episcopali auctoritate li-

centiam transferendi concedimus et concessimus per praesentes. In quorum omnium fidem praesentes manus nostrae subscriptione et sigilli majoris impressione communivimus. Datum Coloniae, anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, die duodecima mensis junii. Sic subsignatum : Laurentius episcopus Cyrenensis. Et sigillatum cum sigillo dicti D. episcopi in cera rubra.

Qui quidem D. Joannes de Vera, cum juramento solemni per eum in manibus nostris, in forma debita juris, praestito dixit et attestatus est se ex sanctis Reliquiis, in praetactis litteris donationis designatis, participasse et dono dedisse Sermæ Dominæ D. ISABELLAE-CLARAE-EUGENIAE, Hispaniarum Infantæ, archiducissæ Austriae, ducissæ Burgundiae, Brabantiae, etc., comitissæ Flandriae, Artesiae etc. sacrum CAPUT SANCTAE GERTRUDIS, FILIAE SANCTAE ELISABETHAE, uxoris landtgravii Hassensis, de quo in dictis litteris fit mentio, idem sacrum caput cupienti magno et incredibili desidesio et a se efflagitanti, illudque sacrum caput libentissime ei donasse, ob ingentem animi ardorem et singularem devotionem qua erga illud Sermam Dominam archiducissam teneri intelligeret, idemque sacrum caput in loco sancto collocaturam, ubi a christifidelibus pie et, uti decet, honoretur. In quorum fidem, testimonium, roburque perpetuum hisce nomen nostrum subscripsimus, sigilloque nostro easdem corroboratas et per infrascriptum notarium referendatas curavimus. Datum Bruxellae, decima septima die mensis januarii, anno Domini millesimo sexcentesimo primo, praesentibus ibidem Rdo Domino Caesare Clemente, doctore in sacra Theologia, sacellano suarum Celestudinum ac egregio R. Joanne Baptista de Villa Real Echavarria, doctore medico suarum Celsitudinum et Petro Van Esshe in dicto oppido Bruxellae existentibus, tanquam testibus fide dignis ad premissa vocatis. Et quia ego, Marcus Prevost, notarius publicus apostolicus et imperialis, per consilium Privatum Serenissimorum dominorum Archiducum Austriae, ducum Burgundiae Brabantiae etc., comitum Flandriae, Artesiae etc., necnon per Consilium suum dicti ducatus Brabantiae admissus, incola dicti oppidi Bruxellensis, omnibus et singulis praemissis, una cum prenomminatis testibus praesens interfui. Ideo has praesentes meis nomine cognomine, et signo consuetis subscripsi et subsignavi, in fidem et robur omnium et singulorum praemissorum, ad haec vocatus et rogatus, attestans me dictos Illustrissimum et Rdum D. Octavium, episcopum Tricariensem, etc. et nobilem D. Johannem de Vera bene noscere.

Archives de la collégiale Sainte-Gudule : Reliques, No 46.